

fit . Eo anno nulli rei diligentior cura , atque opera adhibita , quam ut maria tuta redderentur , pessimumque genus hominum excinderetur .

Ceterum Parmæ , ac Placentiæ perturbatis rebus , quomodo se ex ea perplexitate explicare Pontifex posset , minime inveniebat . Octavius vero Farnesius , spe Placentiæ a Cæsare obtinendæ abjecta , Parmam , quam Pontifex Camillo Ursino una cum arce Ecclesiæ nomine tuendam , neque cuiquam absque suo jussu , ac mandatis tradendam dederat , astu occupare aggressus per dispositos equos Roma incerto Pontifice discedens , Bononiam profectus , postridie cum suorum manu ad portas adest . Ursinus milites pro stationibus disponit , custodias ingeminat , intentiore diligentia singulos sui muneris admonet . Octavius in urbem introductus , arcemque ingredi conatus , a præfecto , quod nullam ejusmodi neque a Pontifice , neque a Camillo facultatem haberet , repulsus , re infecta , digreditur . Pontifex his auditis indignabundus , tabellario quam celerrime ad Octavium contendere jussu , Romam reverti imperat ; Ursino ne illi urbem tradat , præcipit . Octavio reluctantante , atque acerbe admodum conquerente , Cardinalis Montii Bononiensis legati opera ad illius animum flectendum Paulus frustra utitur , cum is injuriarum omnium oblitus ad Cæsaris partes inclinare , ac de Parma occupanda cum Ferdinando Gonzaga agere cœpisset , ad Alexandrum Farnesium Cardinalem fratrem datis literis , quibus , ni Pontifex urbem illi restituat , Gonzagæ accessurum , illiusque viribus quantumvis duris conditionibus Parmam se recepturum minabatur ; id facile vel civium favore , vel commeatum , quibus urbs laborabat , inopia consequi posse ratus . Farnesius literas statim ad Pontificem detulit , prælegentem vehemens adeo perturbatio , atque iracundia corripuit , ut , tremulos , atque seniles artus linquente spiritu , humi prolabentem vix qui prope aderant sustinerent , & pene multis adhibitis exquisita medicorum cura remediis colligere effluentem animum potuerit . Febri vero correptus , molestiis , atque ægritudinibus animi confectus , & obtritus excessit , cum quindecim annorum spatio pontificatum gessisset ; inter eos , qui cum approbatione , ac laude ingens illius auctoritatis pondus sustinere , connumerandus ; cum in Italiæ

1549

*Camillo Ursino a Pontifice Parmæ custodia mandat .*

*Octavius Farnesius Parmam ingressus ab arce rejicitur .*

*Paulus Pontifex Octavio Farnesio reditum in urbem imperat .*

*Pauli Pontificis perturbatio , obitus , & elogium .*